



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 17. Canones de Sacramentis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](#)

Sæcul. XVI. pta augetur, vel amissa reparatur. Pro-
A.C. 1547. pterea Sacrosancta œcumonica & generalis
 Tridentina Synodus in Spiritu sancto legiti-
 time congregata, præsidentibus in ea eisdem
 Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores eli-
 minandos, & extirpandas hæreses, quæ
 circa sanctissima ipsa Sacraenta hac nostra
 tempestate, tum de damnatis olim a Patri-
 bus nostris hæresibus fuscitatæ, tum etiam
 de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ec-
 clesiæ puritati, & animarum Saluti mag-
 nopere officiunt, sanctorum Scripturarum
 doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque
 aliorum Conciliorum & Patrum consensui
 inhærendo, hos præsentes Canones statuen-
 dos ac decernendos censuit, reliquos, qui
 supersunt ad cœpti operis perfectionem, de-
 inceps, divino spiritu coadjuvante, editura.

§. XVII.

Canones de Sacramentis in genere.

I. Si quis dixerit, Sacraenta novæ legis
 non fuisse omnia a Jesu Christo Do-
 mino nostro instituta, aut esse plura, vel
 pauciora, quam septem: videlicet Baptis-
 mum, Confirmationem, Eucharistiam, Pa-
 nitentiam, extremam Undionem, Ordinem,
 & Matrimonium, aut etiam aliquod horum
 septem non esse vere, & proprie Sacramen-
 tum; anathema sit.

II.

II. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sæculi XVI.
Sacramenta a Sacrementis antiquæ legis A.C. 1547.
non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ,
Et alii ritus externi; anathema sit.

III. Si quis dixerit, hæc septem Sacra-
menta ita esse inter se paria, ut nulla ra-
tione aliud sit aliud dignius; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Sacramenta novæ
legis non esse ad salutem necessaria, sed su-
perflua, Et sine eis, aut eorum voto, per
solam fidem homines a Deo gratiam justifi-
cationis adipisci, licet omnia singulis nece-
saria non sint; anathema sit.

V. Si quis dixerit, hæc Sacramenta
propter solam fidem nutriendam instituta
fuisse; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Sacramenta no-
væ legis non continere gratiam, quam sig-
nificant, aut gratiam ipsam non ponentibus
obicem non conferre, quasi signa tantum ex-
terna sint acceptæ per fidem gratiæ, vel ju-
stitiæ, Et notæ quædam Christianæ profes-
sionis, quibus apud homines discernuntur fi-
deles ab infidelibus; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per
hujusmodi Sacramenta semper, Et omnibus,
quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea su-
scipient, sed aliquando Et aliquibus; ana-
thema sit.

VIII. Si quis dixerit, per ipsa novæ
legis Sacramenta ex opere operato non con-
ferri gratiam, sed solam fidem divinæ pro-
missio-

Sæcul. XVI. missionis ad gratiam consequendam sufficere;
A.C. 1547. anathema sit.

*IX. Si quis dixerit, in tribus Sacra-
mentis, Baptismo scilicet, Confirmatione
& Ordine, non imprimi Characterem in
anima, hoc est signum quoddam spirituale,
& indeleibile, unde ea iterari non possunt;
anathema sit.*

*X. Si quis dixerit, Christianos omnes in
verbo, & omnibus Sacramentis habere po-
testatem; anathema sit.*

*XI. Si quis dixerit, in ministris, dum
Sacraenta conficiunt, & conferunt, non
requiri intentionem saltem faciendi, quod fa-
cit Ecclesia; anathema sit.*

*XII. Si quis dixerit, ministrum in
peccato mortali existentem, modo omnia es-
sentialia, quæ ad Sacramentum conficien-
dum, aut conferendum pertinent, servave-
rit, non confidere, aut conferre Sacra-
mentum; anathema sit.*

*XIII. Si quis dixerit, receptos, &
approbatos Ecclesiæ ritus in solemini Sacra-
mentorum administratione adhiberi consue-
tos, aut sine peccato a ministris pro libito
omitti, aut in novos alios per quemcunque
Ecclesiarum pastorem mutari posse; ana-
thema sit.*

§. XVIII.